



Adscr. H. J. 1493. 6

13

PROGRAMMA

DE

1708

o.

437

AUTORITATE
LIBRORUM SYMBOLI-
CORUM ET JURAMENTO
IN EOS PRÆSTANDO,

DISPUTATIONIBVS

IN ARTICULOS

AVGVSTANÆ CONFSSIONIS

publice habendis

premissum

CHRISTOPHORO TOBIA WIDEBURGIO

S. Theol. D. ejusdemque Profesi. publ. ordin.

Acad. Jul. Seniore.



HELMSTADII,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII Acad. Typogr.
Anno MDCCVIII.





Sanctissimæ disciplinarum, SS. Theologiæ

STUDIOSIS

S. P. D.

CHRISTOPH. TOBIAS WIDEBURGIUS

S. Theol. D. & Prof. publ. ordin.

Acad. Jul. Senior.

I qui Christum ore confitentur, omnes corde crederent; si qui sanctissima Prophetarum & Apostolorum monumenta verbis recipiunt, sensum etiam quem Spiritus S. intendit sancte fervarent; si denique omnes quæ benignissimum Numen in Scripturis revelavit pari pietate ac reverentia susciperent, nullis opus esset sive Doctorum disputationibus, sive publicis Christianorum magistratuum de retinendis sanæ doctrinæ formulis, & conservanda veritate cœlesti constitutionibus. Verum enimvero, quod piis omnibus maxime dolendum, inter eos etiam qui sanctam sacram literarum venerationem voce præferunt, plurimi reperiuntur, qui vel hæresi quadam contaminati, vel novarum opinionum cupiditate ducti, novas quærunt & peculiare Scripturarum interpretationes, nec quærere desistunt, donec admotis fidiculis aliquam extorqueant, inge-

ingenio suo, suisque opinionibus maxime convenientem. Oritur hæc perversitas ex immani *Φιλαντία*, quam sua etiam ætate in Pelagianis Augustinus notavit, & hæreticorum omnium matrem vocavit. Hæc enim animos novarum rerum cupidos diviniore sapientiæ persuasionibus occæcavit à recto & piis majorum vestigiis calcato Scripturas interpretandi tramite abducit, & ad res novas in ecclesia moliendas impellit. Eadem perverforum hominum superbia pios magistratus permovet, & necessitatem iis imposuit, ut ad conservandam doctrinæ sinceritatem & retinendam in militante Christi ecclesia harmoniam cœlestem de salute hominum doctrinam è limpidissimis sacrarum literarum fontibus per pios & eruditos purioris ecclesiæ Doctores deductam symbolis complecterentur: ut ex iis brevissima via unusquisque cognoscere posset, quæ sit circa unumquodque religionis caput vera & salutaris doctrina divinitus revelata. Quemadmodum igitur, quod neminem qui vel extremis labiis, quod dici solet, res in ecclesia gestas delibavit, latere potest, ab ipsis incunabulis ecclesia Christi variis heterodoxiis turbata fuit, sic ad conservandam quietem, retinendamque puriorem doctrinam diversis temporibus diversa sunt accommodata symbola, quibus salutaris doctrina à falsiloquiis, & genuini purioris ecclesiæ cives ab heterodoxis discernentur. Ex eodem fonte profluxerunt, & eundem in finem post reformationem conscripti sunt ecclesiarum Lutheranarum libri symbolici, & inter eos etiam pretiosissimus Ducatum horum thesaurus, corpus quod à divo Julio, academiæ hujus fundatore, Julium nuncupamus. Complectitur illud præter antiqua ab universa Christi

Christi ecclesia recepta symbola oecumenica tria, Apostolicum Nicænum & Athanasianum, confessionem Augustanam, quam per Lutherum prima fundamenta ponentem, & Philippum Melanchthonem è verbo Dei post multas deliberationes conscriptam in Comitibus Augustanis invictissimo Imperatori Carolo V. Protestantes anno 1530. d. 25. Junii exhibuerunt, unanimi omnium ecclesiarum nostrarum consensu approbatam. Primarium hoc ecclesiæ nostræ symbolum, & quasi sacrum palladium in corpore nostro Julio excipit confessionis istius Apologia à solo quidem Melanchthone, attamen autoritate publica & protestantium nomine consignata, statuum omnium Evangelicorum consensu & approbatione postmodum confirmata. Sequuntur articuli Smalcaldici, doctrinæ inter Pontificios & Protestantes tum maxime controversæ summam continentes, ab ipso Luthero in conventu Smalcaldicæ anno 1537. d. 15. Februarii instituto conscripti, & Theologorum omnium ibidem præsentium subscriptionibus approbati. Subjicitur iis uterque catechismus Lutheri, in usum præcipue ministrorum ecclesiæ adornatus. Hos quinque libros ecclesiæ quæ Lutheranae dicuntur omnes ab ipsis incunabulis suis unanimi consensu receperunt, & veluti normam sanæ doctrinæ, & symbola quibus ecclesias Lutheranas ab aliis discernere liceat venerantur. Adjici his voluit divina piissimi Principis vigilantia, uberiolem de præcipuis articulis caute proponendis declarationem geminam, ex ipsis Scripturis secundum normam symbolorum hætenus recensitorum consignatam. Ut etiam in omnibus amplissimarum provinciarum ecclesiis & scholis eadem vox sine dissensionibus perfo-

personaret, ad servandam tranquillitatem corporis hujus sui partem esse voluit Urbani Regii librum, in quo horridiores loquendi famulæ annotantur, & his rejectis aliæ substituuntur propriæ, magisque concinnæ, pietati & concordiæ servandæ utiles. Sicuti enim in Cadmea fabula è dentibus Draconis armatorum inter se dimicantium soboles nata dicitur, sic rerum in Ecclesia gestarum memoria abunde testatur, ex impropriis & dissimilibus loquendi formulis opinionum, sæpe nimis orta disfidia, & docentium dissensiones tranquillitatem ecclesiæ & pacem publicam gravissime turbantes. Horum nihil in his provinciis metuen- dum, quamdiu libris nostris symbolicis, quamdiu corpori Julio, sanæ doctrinæ & sanorum loquendi modo- rum regulæ, sua constat autoritas. Quotquot enim in amplissimis his ducatibus ad docendi provinciam ad- mittuntur, omnes academiæ hujus Doctores omnes ecclesiarum ministri, omnes denique scholarum mode- ratores, ad hanc de rebus fidei docendi loquendique, normam sancte servandam solenni juramento adstrin- guntur. Illud forte dubium alicui videtur, quod libri nostri symbolici, quos ab hominibus, humanæ fallibi- litati non exemptos, humana opera concinnatos esse constat, norma constituantur, ad quam tum quoad dogmata sacra, tum quoad loquendi formulas sive in scholis sive in ecclesiis salutarem doctrinam docentes confirmare debeant. Sola potius veteris & novi testa- menti scriptura Prophetarum oraculis & Apostolorum scriptis comprehensa unica norma & regula est, ad quam omnia tum fidei dogmata tum Christiana morum doctrina judicari & æstimari oportet. Fatentur hoc ipsi

librorum Symbolicorum Conditores, qui Epitomen-
articulorum de quibus post reformationem inter Theo-
logos Augustanæ Confessionis controversiæ exorta
erant Formulæ Concordiæ insertam his verbis auspi-
cantur: *Credimus, confitemur, & docemus, unicam nor-
mam & regulam, secundum quam omnia dogmata, omnesque
doctores æstimari, & judicari oportet, nullam aliam esse,
quam Prophetica & Apostolica scripta, tum veteris, tum
novi testamenti.* Idem propemodum initium esse vo-
luerunt doctrinæ compendiarie cujus §.r. ista leguntur:
*Sacras literas solas unicam & certissimam illam regulam esse
credimus, ad quam omnia dogmata exigere, & secundum
quam de omnibus, tum doctrinis, tum doctoribus, judicare
oporteat.* Idem plane cum libro Concordiæ docet præ-
fatio Corporis doctrinæ Julii, in qua ista leguntur: *Wir
setzen zum Fundament, und zum gründlichen Eckstein die
heilige Prophetische und Apostolische Schrift / Altes
und Neues Testaments / welche allein die einige wahre
forma und norma sanæ doctrinæ, Fürbild / Regul und
Richtschuur / aus welcher als aus dem reinen lautern
Brünnlein Israëlis die reine gesunde Lehre genommen/
und nach welcher alle Lehrer und Lehre gerichtet und
geurtheilet soll und muß werden.* Constat ex his cano-
nicam Scripturæ autoritatem à librorum symbolicorum
conditoribus nullo modo per hoc labefactari, quando
publicas hujusmodi Protestantium Statuum confessio-
nes, & ecclesiarum nostrarum symbola sanæ doctrinæ
& sanorum loquendi modorum normam constituunt.
Distinguendum enim omnino est, inter normam nor-
mantem, prout in scholis loquimur, & nomam nor-
matam, inter regulam mensurantem & mensuratam.

IIla

Illam simpliciter & absolute dicitur norma, nec aliam agnoscit regulam, ad quam, ceu superiorem, dirigi aut examinari debeat. Hoc igitur sensu sola Scriptura divinitur inspirata hanc canonicam & infallibilem auctoritatem habet, & isto gaudet privilegio, ut propter inspirationem divinam sit norma fallere nescia, ad quam, universa fidei & morum doctrina examinari possit & etiam debeat. *Credere talia*, scribit Irenæus, *debemus Deo, qui & nos rectissime fecit scientes, quia scriptura perfecta sunt, quippe à verbo Dei, & Spiritu ejus dicta.* Idem Apostolus docet, quando 2. Tim. III. totam scripturam *θεοπνευστων* esse scribit. Hæc enim *θεοπνευστία* non objectum modo Scripturarum, sed etiam ipsa respicit verba & omnem loquendi modum, quomodo non omne quod origine divinum est, aut Deum quomodocunque autorem habet, divinitus inspiratum dici potest. Requiritur enim ad hoc, ut non solum res ipsas, sed modum simul loquendi & singula verba Spiritus S. scriptori suggesterit, atque adeo id omne quod scriptum est ex dictura Spiritus S. mente & manu scribentis sit exceptum. Secundum hanc propriam vocis significationem sola Scriptura, & hæc quidem in originali textu, quo ratione verborum & idiomatis Deum autorem habet, *θεοπνευστος* dici meretur, & ex hac *θεοπνευστία* infallibilem habet certitudinem, propter quam credendorum & faciendorum norma simpliciter & absolute dicitur. Neque vero propterea negari debet, de libris etiam Symbolicis rectissime dici, quod sint tum sanæ doctrinæ, tum sanorum loquendi modorum regula. Quamvis enim ecclesiarum nostrarum confessiones & symbola sint humana opera consignata, atque adeo ad Scripturæ normam
dirigi

dirigi & examinari debeant, rectissime tamen dicuntur
norma normata, quatenus & quia nihil in iis reperire licet,
quoad substantiam & fidei dogmata; nec quoad loquendi
modum quicquam præscribunt, quod non cum unica,
illa norma normante Scripturæ canonicæ exactissime
conveniat, & in Prophetarum Apostolorumque scriptis
vel totidem aut æquipollentibus verbis expresse extet,
vel per justam necessariam & infallibilem consequentiam
è limpidissimis Israëlitis fontibus deducatur. De hoc per-
petuo cum canonica Scriptura recte intellecta consensu
adeo certi fuerunt primi Reformatores, ut in Augustanæ
confessionis præfatione ad Imperatorem Carolum V.
dixerint; *se offerre in causa religionis Confessionem de do-
ctrina è Scripturis sanctis & puro Dei verbo petita.* Ita
etiam qui formulæ concordiæ subscripserunt in decla-
ratione solida asserunt, hanc doctrinam congruere verbo
Dei. Sunt autem hæc intelligenda de Scriptura secun-
dum eum sensum accepta quem Spiritus S. per verba
intendit. Quis vero est genuinus Scripturæ sensus?
Audite, ô Optimi, divum Julium academiæ hujus fun-
datorem in præfatione corporis Julii ita loquentem: *Es
muß aber auch die Heil. Schrift nicht gebeugelt/ ver-
drehet und verkehret werden/ auf fürgefassete opinio-
nes, nach eines jeden Gefallen. Denn die Schrift
stehet nicht auf eines jeden eigenen Auslegung; 2. Pet. I.
Sondern sie soll angenommen werden in dem einfäk-
tigem Verstaunde/ wie denselben der helle klare Buch-
stabe gibt/ und wie ein Spruch den andern/ juxta
analogiam fidei verkläret.* Constat igitur quod sola
Prophetarum & Apostolorum scripta sint unica norma
& regula, ad quam omnia scripta aliorum examinari &
judicari

igitur

judicari oporteat. Sicuti autem in disciplinis philosophicis frequentissime contingit, ut eadem propositio respectu unius sit cognoscendi & assentiendi principium, respectu alterius principiatum; & ipsæ conclusiones à primis principiis legitime demonstratæ, ratione aliarum quæ ex his deducuntur, principii vim habent, prout hoc non solum modo è scientiis subalternis, sed etiam è perfectissimis Mathematicorum demonstrationibus evidentiissimum est: sic libri Symbolici non absolute & simpliciter, sed certo modo certoque respectu docendi loquendique norma dicuntur. In iis enim provinciis, ubi formula concordia specialiter sic dicta, vel corpus Julium, vel alii libri normales recepti sunt, ista in ecclesiarum ministri his etiam normis conformari tenentur, ut qui ad eandem ecclesiam pertinent, in una & unanimi confessione contineantur. Ostendunt hoc ipsum quæ in corpore nostro Julio declarationi præcipuorum articulorum præmittuntur: *Soll derohalben in Kirchen und Schulen dieses Fürstenthums nichts anders zu lehren verstattet werden / denn was gemeldten corpori doctrinæ gleichförmig und gemäß / und in demselben guten klaren beständigen Grund habe / non tantum quod res ipsas attinet; verum etiam quod attinet ad formam sanorum verborum. Was aber demselben ungemäß / soll nicht geduldet / sondern verhütet und abgeschaffet werden. Prästant vero symbola inter alios hunc etiam usum, ut veritatis coelestis amici ab inimicis, orthodoxi ab heterodoxis, discernantur. Osendit hoc ipsa librorum Symbolicorum appellatio à signo bellico desumpta. Denotat enim hæc vox Latinis tesseram qua socii ab hostibus & exploratoribus dignoscuntur. Ita Symbolum quod Apostolicum nuncupamus*

B

totius

totius fidei Christianæ breviarium continet, cujus doctrina veri Apostoli dignoscebantur à pseudo apostolis, qui simulabant se esse apostolos Christi, quem tamen pie & vere non prædicabant. Quemadmodum discrimen illud inter scripturam canonicam & quævis alia sive integrarum ecclesiarum, sive privatorum hominum scripta sancte servandum, & his quamvis à viris doctrina excellenti & insigni pietate præditis conscripta sint, non ideo fides adhibenda, quia sic senserunt, sed quia è limpidissimis divinarum literarum fontibus veluti rivuli profluxerunt: sic plurimum interest, inter symbola totius ecclesiæ catholicæ consensu recepta, & inter confessiones particularis ecclesiæ judicio & sententia comprobata: de quo discrimine legi merentur quæ suppeditat Georgius Mylius in prolegomenis ad Augustanam Confessionem p. 8. b. Majorem igitur præ particularum ecclesiarum confessionibus auctoritatem obtinent œcumenica unanimi totius ecclesiæ catholicæ consensu comprobata symbola, Apostolicum, Nicænum & Athanasianum. *Majore etiam in pretio habenda est, ita loquitur Johannes Conradus Dürrius in Isagoge ad libros normales Ecclesiæ Noribergensis Cap. I. §. IV. Confessio communi Protestantium consensu conscripta, & approbata, & Imperatori Carolo V. in Comitibus Augustanis tradita, & coram eodem ac cæteris Electoribus, Principibus, ac Statibus Imperii prælecta, quam reliqua scripta à solo Luthero aut Philippo elucubrata; in quibus cum non nude assertiones aut theses proponantur, sed sæpe integræ disputationes & contrariorum argumentorum solutiones contineantur, minus mirum est, non omnia semper ad Lydium lapidem esse examinata.* Constat ex his quod publicis hujusmodi confessionibus, prout vel totius ecclesiæ univer-

universalis, vel particularium solummodo ecclesiarum consensus accessit & approbatio, eo etiam major vel minor autoritas accidentaliter tribuenda sit. Hinc inter libros symbolicos Lutheranarum ecclesiarum omnium Augustana confessio haud immerito potior habetur ejusdem Apologiâ. Quamvis enim hanc Philippus autoritate publica & mandato Statuum Protestantium, communicato etiam cum aliis consilio, scripserit, tamen in ejusdem præfatione ipse non diffidetur, quod inter excudendum aliqua adjecerit. Postquam vero Statuum Evangelicorum approbatio accessit, libris ecclesiarum nostrarum symbolicis annumerata fuit. Articulos Smalcaldicos à solo Luthero elucubratos esse ipsa ostendit præfatio articulis illis præmissa. In hac enim ita Lutherus loquitur: *Cum Papa Paulus hujus nominis tertius concilium indiceret anno superiori circa Pentecosten Mantuæ celebrandum, injungebatur mihi, ut articulos doctrinæ nostræ conscriberem, & colligerem, si forte res proceret, ut constaret, quid & quatenus Pontificiis cedere, & in quibus capitibus constanter perseverare vellemus, & possemus. Conscripsi igitur articulos, & nostræ parti traditi.* Hos vero etiam articulos, quibus B. Lutherus doctrinam inter Protestantes & Pontificios tum maxime controversam complectebatur, Doctores omnes & Concionatores, qui in Smalcaldensi conventu præsentés erant, unanimi confessione approbaverunt, & subscriptionibus suis confirmarunt. Pari modo Catechismum utrumque, majorem & minorem, quos Lutherus in usum præcipue concionatorum adornaverat, Protestantium Status in numerum librorum symbolicorum receperunt. Quamvis igitur scripta hætenus enumerata partim à Luthero partim à Philippo Melanchthone sint elucubrata, pro-

pterea tamen neutiquam definiunt esse symbolica. Postquam enim ab omnibus ecclesiis, quæ Lutheranarum nomen obtinent, recepta & approbata sunt, has ab aliis ecclesiis ita distinguunt, ut si quis eas non recipit, pro sincero ecclesiæ Lutheranæ membro haberi non mereatur. Quæ vero postmodum his sunt appositæ particularum ecclesiarum confessiones: quales sunt formula concordiæ specialiter sic dicta, à septem Theologis ad hoc designatis conscripta, nec non declarationes præcipuorum articulorum fidei, & admonitiones de norma sanorum loquendi modorum ubique servanda: hi quidem & similes libri particularibus ecclesiis proprii sunt, neque damnamus, aut ex numero Lutheranarum excludimus ecclesias, quæ hos, vel aliquos eorum non recipiunt; modo fundamentalem doctrinam ex verbo Deo in symbolis œcumenicis & Augustana confessione propositam factam tectam retineant. Ex his tum de autoritate, tum de necessitate, & multiplici librorum symbolicorum usu satis superque constat. Postquam enim scripturæ verba multi recipiunt, veram sententiam pauci, & plurimi ad Prophetarum & Apostolorum scripta provocantes contra scripturam foedos ac pestilentes errores fovent, symbola nostra genuinum scripturæ sensum ostendentia plurimum conferunt ad decidendas controversias, intra illius ecclesiæ cuius sunt symbola, limites excitatas. Hanc autoritatem non quidem primario & per se, sed secundario & ob suum cum scriptura consensum obtinent. Sunt enim consentientibus iis qui receperunt, ipsa medulla scripturæ canonicæ. Ipsorum igitur errantium, qui suum jactant consensum cum confessione, quicquid cum symbolis pugnat, cum scripturis etiam divinis pugnat, & quod à symbolorum norma declinat, à scripturarum canone recedit.

cedit. Idem quoque sentiendum de sanorum verborum
 formulis, ut ad retinendam *ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαίνοντων λόγων*
 loquendi modos quos symbola probant in iis ecclesiis
 quorum sunt symbola ad ocentes adhibeant, & qui in iis re-
 jiciuntur omittantur. Hæc sanæ doctrinæ sanorumque
 loquendi modorum *ὑποτύπωσις* è sacris scripturis & eccle-
 siæ catholicæ testimoniis deducta, dum inviolata serva-
 tur, non modo falsis dogmatibus, ut loquitur præfatio formu-
 læ concordiæ, quæ subinde magis magisque sese quasi in con-
 suetudinem & familiaritatem hominum insinuant, occurritur,
 sed & orthodoxorum mentes in recta pietatis via, & agnita,
 atque hæcenus constanter retenta, defensioneque veritate doctrinæ
 cœlestis perseverant, nec ab ea se abduci patiuntur. Sancta
 igitur esse debet librorum symbolicorum autoritas, ne
 hac, veluti sepimento, perfracta, ferarum in hortum Dei
 aditus patefiat. Hæc autem cura & sollicitudo omnium
 maxime Christianorum magistratus tangit, quos supre-
 mum Numen, rex regum & dominus dominantium, eo
 loco constituit, ut sanctas agant pro pio fidelium grege
 excubias, & diram luporum truculentiam à sacro ovili ar-
 ceant. Ut igitur constet, quid de Deo rebusque divinis
 statuatur, quibus publice docendi munus demandatum,
 non minus pie quam prudenter ita constitutum, ut ad do-
 ctrinæ sanitatem retinendam, & conservandam ecclesiæ
 tranquillitatem, qui publicis muneribus admovendi sunt
 ad eam quæ in libris symbolicis continetur doctrinam
 juramentis ac subscriptionibus adstringantur. Neque
 vero existimari potest, quod isthac ratione tyrannis in
 subditorum conscientias exerceatur, aut quod juratæ
 symbolicorum approbationes cum autoritate sacrarum
 literarum, vel cum libertate conscientiarum relinquenda
 pugnent. His quidem & similibus convitiis atrocissi-

mis Valentinus Weigelius invehitur in omnes Christianorum magistratus, ad publicum in ecclesia docendi munus neminem admittentes, nisi prius interposita juramenti fide consensum suum declaverit cum ea doctrina, quæ tum in aliis libris symbolicis, tum præcipue in Augustana confessione declaratur. Sane si pretiosissimum hoc nostrarum ecclesiarum & sanctum *κειμήλιον* dogmata scripturæ canonicæ adversa credenda docentibus obtruderet, haberet Weigelius quod reprehenderet. Postquam vero, ut loquitur Augustanæ Confessionis ad Carolum V. præfatio, *omnia illa sunt è scripturis sanctis & puro Dei verbo deprompta*, juramentum quo nostrum cum eis consensum testamur, nullo modo vel solvit, vel rumpit vinculum quo supremi Numinis Majestas ad divinas scripturas devota animi submissione amplectendas unumquemque nostrum adstringit. Quæ de libertate conscientii relinquenda opponebantur minorem habere videntur difficultatem. Nulla enim tollitur conscientiarum libertas, dum licentia hominum refrænatur; & frustra se lædi conqueruntur, qui pro lubitu in vinea Christi grassari prohibentur. Attamen, dicunt, compelluntur interdum homines ad ea probanda, quæ aut nunquam ante viderunt, aut non satis explorarunt; præscinditur inquirendæ veritatis cælestis studium, & perpetuæ captivitati subjiciuntur conscientiæ, si in iis in quæ semel jurarunt semper hære oportet, nec unquam ab eo recedere, licet aliquid reperiatur cum sacris literis minus congruum. Verum enim vero distinguendum est inter id quod præstari debet quando quis jurat, & inter ea quæ respiciunt tempus, quod juramentum subsequitur. In jurante requiritur potissimum veritas, quæ consistit in conformitate
cum

cum interiori animo, firmoque proposito omnia ea præstandi, quæ in juramento promissorio continentur. Explorato igitur, quantum ab unoquoque fieri potest, cum canonica scriptura consensu, voluntaria fieri debet & perspicua, non simulata sed sincera, non quoad partem sed quoad totum subscriptio. *Totum corpus Julium* scribit Conradus Horneius in repetitione doctrinæ veræ de necessitate studii pietatis §. CCIV. *pro norma docendi & loquendi habemus.* Quod subsequenter attinet tempora, si de veritate alicujus doctrinæ quæ in libris symbolicis continetur animus dubitaret, & coelestem veritatem implorata S. Spiritus gratia dies noctesque quærenti falsitas ex verbo Dei clare, quod nunquam futurum confido, demonstraretur, utique repertam veritatem apprehendere, & juramentum prius rescindere liceret. In omni enim sive voto sive juramento promissorio excipitur jus superioris, & semper Deo magis obediendum est quam hominibus. Hoc etiam respicere videntur, qui Statuunt, unumquemque qui libros symbolicos categorica subscriptione approbat, non posse non apud animum constituere, si procedente tempore errorem aliquem in iis vel suo ingenio, vel alterius sufficiente ostensione liquido apprehendere contingeret, se isti assensum porro minime commodaturum. Ita videlicet mentem suam explicat Georgius Calixtus quando in Responso Moguntinis opposito part. I. §. CXXXVI. scribit: *Juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. Quod doctrinam in quam jurasti attinet, si de veritate ejus, quando jurares persuasus fuisti, bene habet. Sin postea tibi evidenter monstratur, quædam ejus capita manifesta falsitate laborare, juramento ad retinendum errorem, de quo in conscientia convictus fueris, non teneris.* Plura his addere non licet, sed instituti ratio postulat, ut de

iis paucissima adjiciam, quæ præsentî scriptiõni occasio-
nem suppeditarunt. Cum Augustana confessio sit prima-
rium & commune Lutheranarum ecclesiarum symbo-
lum, aliquoties illud hætenus in publico omnibus paten-
te auditorio perspicuis discursibus declaravi. Jam vero
novam mihi suppeditant illud è sacrarum literarum fon-
tibus deducendi & cum reliquis libris nostris symbolicis
conferendi, & adversariorum argumenta dissolvendi, oc-
casionem industrii duo divinarum studiorum cultores.
Sunt illi filius meus, JOHANNES BERNHARDUS WI-
DEBURGIUS, & JOHANNES HENRICUS GÖTZIUS
Halberstadiensis, qui pari hætenus cupiditate discen-
di flagrantes, pari industria, postquam necessaria & suffi-
ciente linguarum & disciplinarum notitia mentem ex-
poliverunt, in publicis privatisque Theologorum audi-
toriis eam sibi pararunt divinarum rerum cognitionem,
ut in lucem prodire & de præcipuis Christianæ religionis
articulis è publica cathedra disputare non dubitent,
alternatim Respondentis munere perfuncturi. Mate-
riam eruditarum velitationum seligere iis placuit con-
fessionem modo laudatam. Vos igitur, ô carissimi sa-
crorum studiorum Cultores, omnes peramanter invito,
ut commilitonum vestrorum disputationibus frequentes
adesse velitis. Ego autem enixe operam dabo, ut ex
meis tum responsionibus tum declarationibus sedulo
auscultantium profectibus non contemnenda fiat ac-
cesso. Dies singulis disputationibus destinandos è
publica tabula mature indicabo. Faxit Deus ut hoc
etiam exercitium non modo respondentibus meis, sed
auditoribus omnibus fructus afferat uberrimos.

P. P. in Acad. Julia Anno MDCCVIII.

d. XIX. August.



Helmstedt, Diss., 1706-08

X 241 90 83





adscr. H. P. d. 1493. 6
13
PROGRAMMA

DE *1708* *437*

AUTORITATE
LIBRORUM SYMBOLI-
CORUM ET JURAMENTO
IN EOS PRÆSTANDO,

DISPUTATIONIBVS

IN ARTICULOS

AVGVSTANÆ CONFSSIONIS

publice habendis

præmissum

CHRISTOPHORO TOBIA WIDEBURGIO

S. Theol. D. ejusdemque Profen. publ. ordin.

Acad. Jul. Seniore.



HELMSTADII,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII Acad. Typogr.
Anno MDCCVIII.